



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. I. Belli Sacri finis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

qui invocatione Sanctissimæ Trinitatis, per Sacrum Baptisma, in Christo renati sunt facilè, cognoscent, quæ & quanta sit communis, & particularis obligatio Christianorum, ad hoc Bellum Sacrum capescendum, promovendum, & consummandum.

## §. I.

*Belli Sacri finis.*

**R**EX Regum Christus omnium victor per Crucem suam: Dux exercituum Dei omnipotentis, ac summus Christianorum Imperator, quod suis primis Discipulis dixit, omnibus dicit, qui credunt, ac credituri sunt in eum; ut in Salvatorem, Regem & judicem omnium. Omnibus ergo fidelibus dicit hoc Verbum: Non veni pacem mittere sed gladium. Et paulò ante Passionem suam monuit Discipulos, ut vestimenta non necessaria venderent, & gladium emerent: & cum respondissent illi, Domine ecce duo gladii hic, dixit illis: Sufficit. Qui sunt isti duo gladii necessarii & suf.

ficientes ad Bellum Sacrum, Ecclesiae militantis contra inimicos Sponsi sui Crucifixi contra hostes Nominis Christiani tam invisibiles, Principem hujus mundi & Angelos ejus, quam visibiles, infideles ministri Principis hujus mundi: & praecursores Antichristi? Duo illi gladii quibus Ecclesia militans in terris praeliari debet usque in finem, contra omnes inimicos Christi **JESU**, sunt suprema potestas Ecclesiastica, qui in unico visibili Capite summo Christi in terris Vicario principaliter residet: & cui omnes omnino Christiani, jure divino, subjicere sese in spiritualibus debent; sicut membra Capiti, sicut oves & Agni Pastori; sicut Discipuli Magistro, sicut Filii Patri communi omnium fidelium: quem ipse Christus Deus-Homo supra omnes suos fratres constituit, ut sit omnium Princeps, Dux, Judex, moderator, & omnes confirmet in fide & pietate, ac in omnibus quae ad salutem Aeternam spectant; atque omnes secum introducat in regnum Dei: tanquam Coelorum Janitor, & claviger Civitatis Dei, in quam nullus ingre-

dietur, nisi per potestatem illam divi-  
nam Beato Petro, & successoribus  
ejus, usque ad finem mundi collatam;  
contra quam portæ inferi, error & ini-  
quitas non prævalebunt.

Hic est gladius spiritus, ex ore Ver-  
bi Dei Incarnati procedens, penetrabi-  
lior omni gladio ancipiti. Gladius bra-  
chii Altissimi, Dei exercituum, quo  
percutiet omnes gentes, & duplici  
contritione conteret eos qui ad fidem  
convertentur.

Alter gladius, Ecclesiæ militanti, à  
Rege Regum Deo-Homine datus; est  
gladius brachii Principum Christiano-  
rum, quorum potestas est à Deo: &  
quia quæ à Deo sunt ordinata sunt ad  
gloriam Nominis J E S U, & ad salu-  
tem fidelium in Ecclesiâ militante: in  
navi Petri militantium pro gloriâ Cru-  
cis Christi, gladius ille potestatis Prin-  
cipum Christianorum, semper unitus  
esse debet primo & principali gladio,  
spiritus Domini Dei exercituum; qui  
omnia omninò Ecclesiæ suæ militantis  
membra, vult esse unita visibili suo  
Capiti, usque ad consummationem  
Belli Sacri, usque ad finem mundi.

Sic duo illi gladii debitâ proportionem  
 uniti, prout sunt ordinati, & dati à  
 Christo Deo-Homine, cui data est à  
 Patre omnis potestas in Cœlo & in  
 terra, sunt necessarij, & sufficientes  
 ad propagationem fidei in gentibus,  
 ad conservationem utriusque status  
 Ecclesiastici, & laïci, ad tranquillitatem  
 bonorum, ad terrorem & contritionem  
 malorum: uno verbo ad sanctificationem,  
 & salutem omnium electorum, à Deo,  
 uno, trino, in Christo JESU,  
 primogenito prædestinatorum ad vitam æternam.

Hic tandem est finis primarius ultimus,  
 summus Belli Sacri, & totius Ecclesiæ  
 militantis, à Deo exercituum Christo  
 JESU Rege Regum, sicut castrorum acies  
 ordinatæ: per duos illos gladios, ad hunc  
 unicum finem, in quo, omnes renati  
 Sacro Baptismate uniti, per Sacramentum  
 Eucharisticum, perfectæ unitatis vinculum,  
 & Christianæ charitatis alimentum,  
 in æternum unum erunt regnum;  
 Deo, uni, trino, per Christum  
 consecratum: cujus regni gloriosi  
 Beati omnium bonorum desiderabilium

rabilium aggregatione perfectissimi,  
nullus erit finis.

§. II.

*Obligatio ad Bellum Sacrum, omnibus  
Christianis communis.*

**E**X ordinatione, & fine Belli Sacri, ab ipso Christo indicti, contra Dei veri inimicos: certissimum manet, omnes omnino Christianos, id est, Christi JESU milites, sub Divino illo Imperatore, & constituto, per ipsum Vicario suo in terris, vocatos, ad Bellum Sacrum; teneri militare militiam bonam, unumquemque in suo ordine: quæ enim à Deo sunt ordinata sunt, per media convenientia, ad finem perfectum; ad Divinam gloriam, & vitam æternam, electorum in Christo JESU; propter quos omnia operatus est Deus optimus, maximus, omnipotens, unus, trinus. Cùm ergo Ecclesia militans sit à Deo, sicut castrorum acies ordinata; non una eademque est singulorum qui Ecclesiam componunt fidelium obli-

P